UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De statu principis experte, hoc est de populo carente pastore. cap.xxii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-71880

Visual Library

Philonis. *Qui ſubeſſe didicit, aliis quoque præeſſe confeſtim diſcet. Neque enim ſi quis vniuerſæ terræ ac maris imperium ſuſceperit, princeps propterea verè erit, niſi priùs parere didicerit.* F

Cùm arduum ac difficile ſit ſcire parere: tum verò longè difficilius eſſe videtur, ſcire imperare.

DE STATV PRINCIPIS EXPERTE, hoc eſt de populo carente paſtore. *CAP. XXII.*

Abac.1. FACIES eos tanquam piſces maris, & tanquam reptilia non habentia principem. G

Mat.9. Cùm veniſſet Ieſus, vidit turbam magnam, & miſericordia motus eſt ſuper eos: quia erant ſicut oues non habentes paſtorem.

Naziãz. *Quod principatus expers eſt, ordine caret: quod autem multos principes habet, diſsidiis ac ſeditionibus laborat: ſicque & imperij & ordinis expers eſt. Eodem enim vtrumque tendit, nempè ad perturbationem & confuſionem. Confuſio autem ad diſſolutionem & interitum. Perturbatio enim diſſolutionis meditatio eſt.*

Athana. *Ordinis perturbatio perſpicuum argumentum eſt, neminem eſſe qui imperet. Ordo autem principem ac moderatorem indicat.* H

Dionyſ. *Vbi princeps ac moderator non eſt: illic perturbatio atque confuſio exiſtat neceſſe eſt.*

Principatus poti⁹ ſublatio ac ſeditio eſt multorũ principat⁹, vbi oẽs honore æquales ſunt.

Phil. *O quot quámque grauia mala ex ſublato principatu naſcuntur! fames nimirũ, bellum, regionum populationes, opum ereptiones, abductiones, ſeruitutis & mortis metus.*

DE ACEDIA ET MOERORE. *CAP. XXIII.*

Pſ.41.60 QVARE triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Cùm I
76. anguſtiaretur cor meum, in petra exaltaſti me. Exercitatus
118. ſum, & defecit ſpiritus meus. Dormitauit anima mea præ tedio: confirma me in verbis tuis. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Eſa.35. Confortate manus diſſolutas: & genua debilia roborate. Cófortamini, nolite timere. Ecce Deus noſter, ecce Dominus
62. noſter cum fortitudine veniet. Ecce merces cum eo, & opus eius coram eo.

Baruc.3. Domine omnipotens Deus Iſraël, anima in gemitibus, & ſpiritus anxius clamat ad te. Domine, exaudi, ac miſerere, quia Deus miſericors es.

Heb.12. Manus diſſolutas & genua debilia roborate, & rectos greſſus facite pedibus veſtris: vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. K

Baſil. de Fame. *Nimia triſtitia, peccati cauſa efficitur.*

Epiſt.1. Loci mutatione non pelluntur animi moleſtiæ. *Similis ſum iis, qui ob nauigandi inſolentiam in mari miſerè afflictantur, ac nauſea laborant. Illi etenim nauis magnitudine offenſi, tanquam ingentem iactationem ipſis afferente, in lembum aut acatium migrantes, vbique tamen nauſeant, atque in ſumma animi anxietate verſantur. Vnà enim cum iis migrat moleſtia, & bilis. Huiuſmodi quiddam nobis vſu venit. Siquidem domeſticas animi perturbationes nobiſcum circũferentes, vbique in iiſdem tumultibus ſumus.*

Chryſoſt. libr.3 de Prouid. *Omni diabolica operatione pernicioſior eſt immodica mœroris & acediæ magnitudo. Quãdoquidem etiam quos dæmon ſuperat, per mœrorem ſuperat. Quòd ſi mœrorem ſuſtuleris,*